anime illius agitur. Nunc ergo fili audi me
& attende verbis oris mei. ne abstrahatur
in viis illius mens tua. neque decipiaris
semitis eius. Multos enim vulneratos de-
iecit. & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.
Vie inferi domus eius. penetrantes in infe-
VIII riora mortis. Numquid non sapientia cla-
mitat. & prudentia dat vocem suam.
In summis excelsisque verticibus super viam in
mediis semitis. stans iuxta portas civita-
tis in ipsis foribus loquitur dicens. O viri
ad vos clamito. & vox mea ad filios ho-
minum. Intelligite parvuli astuciam. &
insipientes animadvertite. Audite quia
de rebus magnis locutura sum. & aperientur
labia mea ut recta predicent. Veritatem
meditabitur guttur meum. & labia mea
detestabuntur impium. Iusti sunt omnes
sermones mei. non est in eis pravum
quid. neque perversum. Recti sunt intelligen-
tibus & equi invenientibus scientiam. Acci-
pite disciplinam meam & non pecuniam.
doctrinam magis quam aurum diligite. Me-
lior est enim sapientia cunctis preciosissi-
mis. & omne desiderabile ei non potest
comparari. Ego sapientia habito in consi-
lio. & eruditis intersum cogitationibus. Ti-
mor domini odit malum. arrogantiam
& superbiam & viam pravam. & os bilin-
gue detestor. Meum est consilium & equitas.
mea prudentia. mea est fortitudo. Per me
reges regnant. & legum conditores iusta
decernunt. Per me principes imperant. & po-
tentes decernunt iusticiam. Ego diligen-
tes me diligo. & qui mane vigilaverint
ad me invenient me. Mecum sunt divi-
tie & gloria. opes superbe & iusticia. Melior
est fructus meus auro & lapide precioso.
& genimina mea argento electo. In viis
iusticie ambulo. in medio semitarum
iudicii. ut ditem diligentes me. & thesau-
ros eorum repleam. Dominus possedit
me in initio viarum suarum. antequam
quicquam faceret a principio. Ab eterno or-
dinata sum. & ex antiquis antequam terra
fieret. Nondum erant abyssi. & ego iam concep-
ta eram. Necdum fontes aquarum eruperant.
necdum montes gravi mole constiterant.
ante colles ego parturiebar. adhuc terram
non fecerat & flumina. & cardines orbis terre.
Quando preparabat celos aderam. quando
certa lege & gyro vallabat abyssos. Quando
ethera firmabat sursum. & librabat fontes
aquarum. quando circumdabat mari ter-
minum suum. & legem ponebat aquis ne
transirent fines suos. quando appendebat
fundamenta terre. cum eo eram cuncta com-
ponens. & delectabar per singulos dies ludens
coram eo omni tempore. Ludens in orbem
terrarum. & delicie mee esse cum filiis homi-
num. Nunc ergo filii audite me. Beati qui
custodiunt vias meas. Audite disciplinam.
& estote sapientes. & nolite abicere eam. Be-
atus homo qui audit me. qui vigilat ad fo-
res meas cotidie. & observat ad postes hostii
mei. Qui me invenerit. inveniet vitam. &
hauriet salutem a domino. Qui autem in
me peccaverit. ledet animam suam. Omnes
qui me oderunt. diligunt mortem. Sapien- IX
tia edificavit sibi domum. excidit colump-
nas septem. immolavit victimas suas.
miscuit vinum & proposuit mensam suam.
Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.
& ad menia civitatis. Siquis est parvulus
veniat ad me. & insipientibus locuta est. Ve-
nite comedite panem meum. & bibite vi-
num quod miscui vobis. Relinquite infan-
tiam & vivite. & ambulate in viis pruden-
tie. Qui erudit derisorem. ipse sibi iniu-
riam facit. Et qui arguit impium generat